

I. N. J.

SPECIMEN ACADEMICUM,

De

ÆNIGMATIBUS.

Quod,

DEO FACIENTE GRATIAM,

Contentiente

AMPLISS. FACULT: PHILOSOPHICA,

In Regia Academia Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO,

Viri Admodum Reverendi atq; Celeberrimi

DN. TORSTANI

RUDEEN,

Poëseos Profess. Ordin.

Ad diem 20 Junii A. properantis 1703. borasq;

In Auditorio Maximo, Solennes,

Candida bonorum ventilationi mode-

ste submittit

JACOBUS WJJKKJ

Off. Bochn.

Exc. JO. WALL.

DN. M. JACOBO
FALANDRO,

Pastori in Cronoby dudum meri-
tissimo, nec non adjacentis di-
strictus Præposito Gravissimo,
Mæcenati nunquam non deve-
nerando,

*Viro insigniore prudentiâ digni-
simeque Peramplo,*

DN. NICOLA O
Bergudd/

Secretario Provinciali per Bothni-
am Orientalem conspicuo, Nu-
tricio quondam liberalissimo,
Benefactori semper optimo.

FELICITATEM

die atq; Celeberrimo;

DN. GEORGIO
Biugg/

Ecclesiarum Wasensium Pastori
longè dignissimo & adjacenti-
um Præposito benè merentissi-
mo, Promotori nullo non tem-
pore suspiciendo.

*Viro Reverendo atq; Do-
tissimo,*

DN. JACOBO
MULLOVIO,

Sacellano in Lille-Ryro advi-
gilantissimo, Præceptorum olim
fidissimo.

& ANNOS.



Vanta & quam dulcis mihi
est *Vestrorum*, Promotores o-
ptimi, recordatio beneficiorum,
que in me indefinenter contu-
listis exprimere hic calamus nequit, nec
forte vos desiderabitur, utpote, que testi-
monio commendantis haud quaquam in-
digeant. Tacitâ tamen mecum & iteratâ
ingeminatione ego mirari non desinam,
quamvis novam me pati videam ex eo-
rum copia difficultatem, atque adeo ut co-
gitatione quidem & animo cum possim, ver-
bis tamen & literis eadem assequi non
valeam. Scilicet timebam ne pii *Vestri*
laboris officium, impiâ meâ taciturnitate,
corrumpere, nec conveniens esse duce-
bam officio meo, si falsâ spe remuneratio-
nis Vos producerem, qua & hic perquam
veneris ostenditur. Metum itaque ac te-
meritatem junxi, offerendo Vobis exilem
huncce primitiarum factum, qui *Vestrum*
Susti-

sustinere oculorum conspectum non poterit,
nisi solita gratia erexeritis timentem.
Feci quod pro viribus fecisse fas erat, ne
in turpissimam parum grati animi no-
tam incurrerem, quod evenisset si non
singularem prorsus illam benevolentia Ve-
stræ gratiam, quâ me licet nihil boni me-
rentem, benignissimè complecti non dedi-
gnati fuistis. Proinde exiguâ quidem pu-
blicâ tamen testificatione hic prosequor &
omnibus facio palam, nihil mihi anti-
quius fore quam, quacunque occasione
ostendere, quot quantisque nominibus
sim Vobis,

Ad omne obsequium devotissimus.

JACOB WIJFAR.

Förnåme HandelsMannen/
Ehreborne och Högwälachtad
Herz Niclas Schulz/
Din gunstigste Synnare.

Sitt Tahl med flijt förbölt/ man er
så lätt uttyder/
Hwars mening icke så/ som orden lyda/
lyder;
Men faller långt ifrån thet sätt som
bruket lär/
Och under täcke en bekant utmärck-
ning bår.
Jag menar sätt och wijs/ hwar med the
plåga teckna
Sitt tyg och annat kram/ ther af the
sedan räkna/
Swad

Hwad köp des inköp ger/ för hwad
thet sällas kan;

Ut the ei swijska sig/ ei eller nå-
gon an.

Jthetta Lärespån ei worde mig fram-
bära/

Ehrt Namn Her HandelsMan/ men thet
i Eder skära ;

Ut ieg så wijsa kund/ hwad gunst iag
af Ehr rönt?

Och såledz Edert Namn/ med skyldigt
lof/ blij frönt.

Ehr ärsamhet bör lof/ än mehr Ehr
fromma sinne/

Uf hwilket alltid groor hoos mig et
wyrdsamt minne.

Jör alt thet goda iag af Eder yms-
nigt fått/

Skall Ehr af Himlen gees en oför-
wanskelig lätt;

Ly

En tagen gunstigt up thet iag ensak-
digt gifwer/

Till prof af hordsam plicht/ at thet för-
smädt ei blifwer/

Sast iag ei wijsa kan/ min plicht som
thet sig bör/

Så är doch willian god/ när then sit
bästa gör.

Högwälsachtad Her Hans
delsMans

Hörsamste

JACOB Wijkar.



um nomina sint re-
rum indicia, pro-
posito nostro non a-
lienum esse videtur,
si prius, quam rem
ipsam aggredimur,

ÆNIGMATIS vocem lustremus: cujus ut
methodum, quatenus prodest, sequamur,
& *originem & significationem* paucis inve-
stigabimus. Vox *æivos*, olim in usu fuit,
quâ sapientes antiquissimorum tempo-
rum intelligi volebant non quaecunque
dictum; sed quod erat laude atque ad-
miratione dignum, propter sensum te-
ctum & solis prudentioribus notum;
unde apertius illud ac vulgatus voca-
bulum ænigma, quod significat invo-
lucris quibusdam velatum sermonem;
atque hinc, quæcunque paulo obscuri-
us tectiusque dicta vel scripta, ænigma-
tis nomine veniunt: quod ex dicendis
constabit.

Ex instituto veterum observamus, ali-
 am fuisse faciem docendarum scien-
 tiarum ac hodie est; hisce enim tem-
 poribus, nulli non studiorum cupido, sit
 eorum copia in Scholis five publicis
 five privatis, cum singillatim scientiæ
 omnes clarè atque perspicuè exhiben-
 tur. Versâ vice antiquis usus fuit di-
 versus, ita tamen ut ab eruditis audi-
 torum vulgus secreverint, & prout ju-
 dicavere quemlibet erudiendum, occul-
 tandi sensa vel luci exponendi artifici-
 um adhibuerint. Testis est Schefferus
 Phil: Ital. cap. 10. qui de Pythagoricis
 loquens, maluisse eos, ait, â diversitate
 quâpiam discipulorum, ac alia atque alia
 tradendi ratione, dividere Philosophi-
 am in ἐξωτερικὴν & ἐσωτερικὴν. Illa spe-
 ctabat ad τὰς ἐξω i. e. eos qui essent ex-
 tra Scholam Pythagoricam & licet Py-
 thagoram & Pythagoricos audiverint;
 pristinum tamen vivendi genus serva-
 bant, suaque civilia munia gestabant,
 nec

nec transibant in sectam. Hæc autem erat, quæ pertinebat ad τὰς ἐσω, scilicet qui in scholam concesserant, victuri ex decretis regulisque sectæ, & Philosophi futuri. *His* igitur patuerunt scientiarum adyta, *illis* non nisi per transennas licuit illas videre iussis esse contentis, pleniori tamen luce in iis, quæ vitam civilem juvarent. Hæc enim vulgo ac promiscuæ etiam multitudini simpliciter dicebantur, ne quid fieret honestati adversum. Inde est quod omnia quæ scitu erant utilia, de rebus sacris, de anima & ejus functionibus, ut & de iis rebus quæ ad vitam communem necessario requirebantur, simpliciter, & non per rationes abstrusas Philosophicas demonstrarint, & si forte, ut sæpissime solebant, rationes Philosophicas adhibuerint, easdem desumserint ex simplicissimis similitudinibus, ex communi vita, usuque quotidiano; atque ita de hisce talibus, non philosophicè, sed practicè & populariter disseverint; ut dicit Joh. Scheff. *Phil. Ital. c. 10.*

Sed

Sed quando rebus propriè philosophicis aliqui erant instituendi, longe alia usi sunt methodo; illos enim omnia ordine edocebant, rationibus ex intimo Philophiæ recessu petitis; illos etiam ad omnes scientiæ partes in ipsis Philosophiæ sacrariis perdiscendas admittebant, ratione tamen singulari quæ ab omnibus percipi, intelligique minimè poterat, sed suos sibi lectores postulabat familiares atque selectos. Vulgi quidem oculis & auribus arcana sua exponebant; verum figuris, notis atque quæstionibus adeo intricatis, ut apertis oculis cernentes, nihil omnino penetrarent, & audientes nihil præter vocem intelligerent. Quæ ratio occultandi, cum propius ad propositum nostrum accedit, in originem illius & indolem inquisivisse, fortassis haud fuerit ab officio nostro alienum.

§. III.

Auctorem occultationis hujus primū, inter tot sententiarum divortia indigitare difficile est; præcipue cum ratio

5
tio illa, à multis retro seculis per omnem
antiquitatem celebratissima fuerit. Inter
antiquissimos tamen in hoc genere Phi-
losophos Zoroaster recenseri solet, qui
Magorum in Persia fuit institutor, ac
præter alia, religionis præcepta tradi-
disse fertur, a quibus deinde omnis
occulta Philosophia Magiæ nomen ade-
pta est. Ex his multa in Philosophiam
sic dictam Italicam, transtulisse puta-
tur Pythagoras, quem propterea ejus-
dem occultæ Philosophiæ auctorem fa-
ciunt multi. Non quod ille hanc phi-
losophandi artem de integro finxerit;
habuit enim & ipse in diversis istis re-
gionibus, quas discendi gratiâ peragra-
vit, magistros & informatores bene
multos, qui tamen unius ejusdemque
sectæ non fuerunt; sed quia varia &
multiplicia ista, quæ ab iis audiverat,
in unum congeffit, suo interpolavit
ingenio & quasi nova discipulis suis
proposuit, ut habet Scheff: Phil. Ital. cap 3.
potuit quadantenus ejus inventor ap-
pellari. Nec minores sunt, qui monent
lym-

Symbolicam, ænigmaticam & hieroglyphicam scribendi rationem, Pythagorã haufisse ab Ægyptiis; *fuit enim Ægyptus omnium fabularum patria*, ceu dicit Celeb. Mihaël Mejerus *in tractatu Apologetico pro fratribus Rosæ Crucis*. Nec desunt qui probare nituntur, apud Hebræos, non tantum ejus artis vestigia olim existisse, verum etiam istinc idem occultè Philolophandi genus emanasse, & ex *Cabala* mysteriis, tum in Ægyptum, tum in cæterarum gentium fundos, per rivos quasi defluxisse. Quibus nec nos refragaremur, si constaret indubiè, non esse hanc occultationis rationem, antiquiorem Hebræorum Cabalâ, quam Rabinorum recentiorum esse inventum, haud sine causa suspicantur eruditi. Sanè, quæ habet beatæ memoriæ Rudbeckius pro illius moris origine vindicandâ Hyperboreis, talia sunt quæ me quidem valde movent, ut simile quidpiam credam. Quæ tamen cum à non nemine haud ita dudum tacta sunt, a me nunc præ-

præteriri possunt, remisso hujus rei cu-
 riosiore scrutatore ad Autorē ipsum. Hoc
 tamen addo assentiri nobis *Liðabook*
 in præfatione ad *Swiamars Strangleit*.
Tha var sidr hygginna oc hover-
stra manna i fyrnstone at their
mállto fráde sin svo sem legi med
myrdom ordom i diupom stillnen-
gom/ safer theirra sem ukonner
Varo/ at their stylldo lysa med
liosom um rádom that sem hiner
fyrto hosda mállt/ oc rannzaka af
sinu vitt/ that sem til sty in-
gar horsde oc rettar stillnengar.

*h. e. Hic mos erat politorum & eruditorum
 apud antiquos virorum, ut suam sapientiam
 commodis quidem, sed obscuris verbis, &
 profundis judiciis, aliis impertirent. Hanc
 solum ob causam, quâ rerum imperiti, ex-
 quisitis ingenii luminibus, quod innuebant,
 investigarent, que ad veram explicationem
 & intellectum apprime faciebant. Idem et-
 iam de scaldis septentrionalium tali cal-*

culo firmat Clarissimus Virelius in Mss. pag. 80. Och hafwa these Poëter hafft en synnerlig art att framställa sina diktet med underliga tingz betäckelser. Såsom där the införa Bergztroll/ Drakar/ Lindormar och andra grufweliga diur; förstå the wäld och illgärningz män/ som bodde på berg och fasta flippor.

§. IV.

Hoc autem existimantur veteres fecisse hâc fine, ne, si vulgo, quod nihil intelligit nisi quod sensu percipi potest, religionis mysteria & secreta Philosophiæ sine Symbolorum involucris exponerent, eorum dogmata tandem vilescerent atque pro paradoxis rejicerentur. *Nefas etiam putabant ad arcana sapientiæ profanum vulgus admittere, & que natura in abdito collocasset, & a se magno studio quesita, ac vix tandem reperta essent, ea desidi & ignavæ multitudinî communicare.* Ut Conimbricenses lib. 1. in Physic. Aristot: cap. 7. artic. 1. de hac re habent, Pythagorici enim, ceu antea

monitum est, Acusmaticis (ita discipulos nondum ad Philosophiam initiatos & planè expurgatos appellabant) secreta sua credere non audebant; incerti firmine ac constantes in Schola illa essent manluri. Hanc existimat esse occultationis causam Jac. Thomafius in programme 62. quod ex illa quorumcunque sensuum occultatione aut gloriam sibi, cum obscura soleant admirationem in animis rudium & plebejorum excitare, sine aucupati; aut in sublimium rerum perscrutatione; si verorum sibi essent conscii, vetuit invidia revelare thesauros tam pretiosos; sin ipsi diffiderent inventorum suorum veritati, metu dedecoris, quod ipsis expectandum erat e talium propalatione, maluerunt ea retinere in absconditis, quàm pudenda sua prostituere. Mihi vero perplacet Judicium Magni Morhofii Polyhist. lib. i. cap. 10. verba ejus hæc sunt: non est existimandum, adeo stolidos & ineptos fuisse sagacissimos populos, ut qua vulgo de eorum sacris traduntur, eo sensu accipi velint quo se nobis exhibent, ii præcipue, qui eorum fingendorum auctores

fuere. Alii sub enigmate sensus latent, mysteria scilicet naturæ secretioris, quod, ut suspicione attigerunt multi, ita fuit inter eos interpretes Davos, unus alterque hodie Oedipus, qui aliquid de iis prodiderit.

§. V.

Quæ hætenus generatim dissertavimus, aditum quasi ad specialiores hanc occultationem patefaciunt, quæ *enigma* constituit. Ænigmatum cum ratio multiplex sit, ut facilius indolem ipsorum scrutemur, illa dispescimus in quinque præcipuas classes; quarum prima, quæ per *fabulas* fiunt, complectitur: altera quæ in *figuris* sive *characteribus* consistunt, exhibet: tertia per *res* ipsas ænigmata absolvit: quarta circa eadem in *gestu* occupatur: quinta denique ænigmata, quæ in *verbis* obscuris & plerumque per *questiones* fiunt, continet. Singulas suâ serie modò recensebimus.

Quantum ad *primum* ænigmatis genus, quod per *fabulas* fieri diximus; id de

de illis fabulis dictum non volumus, quæ suis singulæ *επιμυθίαις*, ut ajunt, exornatæ sunt, in quibus potius *cum suavitate certat perspicuitas*, ut habet Jac. Thomasius in program: 62. de occultatione scientiarum; sed intelligimus tales, quales ferme sunt omnes fictiones Poëtarum, quæ parabolas continent: *utpote ficta chronica, vita ficta, relationes etiam ad placitum confictæ*, & multa ejusmodi parabolica, quæ intellectualia ad sensum deducunt, atque adeo historiam aliquando veram imitari videntur, ut tere fallant, nisi quod res sæpius supra modum extollant, teste Verulamio lib. 2. cap. 13. Tales narrationes, quæ sunt mera priscorum figmenta, habemus apud Hesiodum & Ovidium in libris *Metamorphoseon*, ut & apud alios complures, de quibus nos cum Verulamio in loco modo allegato sentimus, non paucis veterum Poëtarum fabulis subfuisse *sensum mysticum*, in quo haud secus ac in ænigmate, quod vix credideris, invenies.

§. VI.

Hoc ænigmatum genus per fabulas excipit alterum, quod in figuris atque characteribus perficitur, quibus veteres feliciter in conceptibus exprimendis præter verba & literas usi sunt. In quo genere tradendi animi sui sensa, antiquissima veterum hieroglyphica, non immeritò agmen ducunt. Siquidem eorum usus in magna veneratione apud gentes bene multas habitus sit. Inprimis autem isthoc artificio Ægyptii celebres fuerunt, sacra quædam monumenta, non per literarum, verborum & sententiarum involucra; sed per sculptas rerum, animaliumque figuras, vel *notas ex congruo significativas*, ut eas appellare amat Verulamius lib. 6. cap. 1. adumbrantes. Cujus rei exemplum, de Ægyptiorum hieroglyphicis dedit nobis Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum, an satis feliciter, dubitat Thomasius: *Diospoli, inquit, quæ est urbs Ægypti, in aede sacra, quæ vocatur Pylon, expressus est puel-*
lus

lus, signum generationis; senex vero interitus; & rursus DEI symbolum accipiter, ut piscis symbolum odii: & in alio rursus significato crocodilus est signum impudentiæ. Videatur ergo universum hoc symbolum simul positum hoc significare: O qui nascimini & inberitis, DEUS odio habet impudentiam.

§. VII.

Huic antiquorum hieroglyphicæ scribendi rationi, per *notas ex congruo significativas*, non absimilis videtur illa Sinensium, qui per lineas certô modô figuratas, sive per *notas ex placito significativas*, ut audiunt Verulamio locô superius allegato, omnium artium principia, non Physica tantum; sed & Politica complexi sunt, & invicem per multa secula frequentarunt. Hi characteres reales, non nominales, orientalioribus ferme omnibus sunt iidem, exprimentes nec verba, nec sonos literarum; sed res & notiones ipsas, earumque conceptus. Præterea hæc characterum notitia, tantum Sinensibus ad
com-

communionem literarum confert, ut
 omnes in toto Sinarum regno, ubi vi-
 ginti linguæ satis diversæ reperiuntur,
 horum tamen characterum beneficio
 se invicem benè intelligant. Nam licet
 linguis prorsus discrepent, characteribus
 nihilominus, qui apud illos recepti sunt,
 consentiunt, haud secus ac Europæi Zi-
 fras & alias notas Mathematicas, ex-
 gr. figuras Zodiaci & Astrologicas in-
 telligunt, quamvis nullum linguæ comer-
 cium invicem habeant. Hinc etiam
 dicit vir consummatissimæ linguarum
 notitiæ August. Pfeiff. in Critica S. pag.
 439. *Aliud est, nosse characteres Sinicos, aliud,
 Sinicâ linguâ loqui: posset enim extraneus ali-
 quis bonâ memoriâ præditus, indefesso studio,
 ad summam eruditionem e libris Sinicis per-
 venire, tamen si neque loqui, neque loquentes
 intelligere posset: scilicet characteres eo-
 rum, non tam sunt literæ, quam sym-
 bola rerum in quacunque lingua intel-
 ligibilia, adeo ut quilibet etiam Svecus
 navatâ operâ posset eadem ritè intel-
 ligere, etsi tantummodo Sueticè, Finno
 etsi*

etsi Finnonicè solum sciret, & suâ tan-
 tummodo linguâ vernaculâ uterque ute-
 retur. Majoris lucis causâ libet adponere
 specimen characterum Sinensium ex
 modò laudati Augusti Pfeifferi Critica,
 locò citatò: *figura crucis*, inquit ibi, *apud*
Sinas exprimit denarium numerum, perfectio-
nis symbolum. Huic si subjiciatur alia linea,
efficitur character, qui significat terram,
quasi omnis perfectionis basin: Si addide-
ris superius aliam lineolam inferiori paral-
lelam, efficitur character significans Re-
gem quasi terra Dominum, vel qui est
supra terram: apposita lineola à latere
efficit characterem, qui exprimit gemmam,
quasi ornamentum Regium: denique si supra
ponatur character aliàs hominem exprimens,
notatur: omnibus numeris perfectus, q. d.
homo regius, sive inter omnes excellentissimus.
 Hæc altioris videntur esse indaginis, quã
 ut temeraria aliqua ratione excogita-
 ta queant esse, cum alioquin in umbra-
 ricis istis conceptibus rectum ordinem
 ne unus quidem observare posset. Talis
 hic.

hieroglyphicæ scripturæ sive ænigmati-
 us per characteres frequens etiam
 & valde familiaris fuit nostris majo-
 ribus in septentrione, qui, ut testatur
 Olaus M. lib. 1. 21. *pro privatis computis,*
instar Ægyptiorum, variis animalium figu-
ris utebantur. Quibus procul dubio ver-
 bis ad baculos Runicos nostratium &
 mensam Isiacam respexit, aliaque, per
 quæ Gothi antiquissimi, variarum re-
 rum atque animalium figuris, pro to-
 tius anni supputatione confectis, non
 modò calculum omnium dierum inire,
 verum etiam solis cursum, lunæque mo-
 tus & mutationes menstruas per uni-
 versum annum exactissimè notare
 solebant. Inter hæc, etiam *tympana*
Lapponica locum sibi jure vindicant,
 quæ varias omnium rerum imagines
 ferè ignorabiles, ut loquitur Apulejus,
 exhibent. Annumeranda quoque iis-
 dem Phrenolchemata sine lemmate,
 quæ non minus ænigmati nomine ve-
 niunt. Qualia sunt Gentilitia stemmata,
 trophæa & signa similia, quorum figura
 he-

heroicum quid, vel aliam quamcunque rerum animique imaginem exprimit; apposita vero inscriptione sive lemma-
te, ænigmatis vis exspirat. Huc refertur
item potest ars *Cabalistica* Hebræorum
& *notatoria* veterum per literas, quæ
constituit ænigma vel maximè in soli-
taria literarum initialium positione pro
integris. Sic e. gr. S P. D. notat *salutem
plurimam dicit*. Ita quidam per quartam
Alphabeti literam ter positam D.D.D.
ludens dixit, eandem Orbi universo exi-
tium peperisse, intelligens *Dæmonem,
Denarium, Dominam*.

§. VIII.

Quin & ænigma dici potest, quo usi
veteres sunt, cum nec scribentes,
nec loquentes, animi sui sentia & con-
silia mentis nihilominus per *rem* & *gestus*
expresserint. Per *rem*: sic Anthinus Go-
thorum Rex, rebus ipsis animi sui sen-
tentiam, Persarum Regi Dario munera
poscenti, aperuit, cum *abem, murem, ra-
nam* pro literis atque muneribus remit-
tens,

tens, extrema eidem intermineretur, innueretque hoc idem, quod Gobrias, consiliarius Fidelis, Regi suo Dario deinde sine adulatione detexit: Nisi Persæ, omni festinatione in patriam properantes, aut cum avibus avolarent, aut cum ranis flumina transfirent aut cum muribus terræ cavernas atque latebras quærerent, non esset quarta via de manibus hostium elabendi: Ut autor est Joh. M. de rebus Gothic. lib. 3. 7. *Gestus* autem transitorium quoddam ænigmati genus exhibuit Tarquinius Superbus, quid fieri vellet, filio, apud Gabios tunc maximè potenti, aperiens: Virgulâ enim, eminentia papaverum capita in horto deambulans excussit, nec nuncio filii responsum aliud est datum. Cognovit autem filius per hoc eædem primatum Gabiensium imperari, quos etiam filius, hoc facto parentis sibi relato, sine mora interficiendos curavit. De quo Florus lib. 1. 7. Illud interim in enumeratis ænigmatum modis ut peculiare observamus, quod

quod rerum figuræ & characteres semper debeant habere aliquid similitudinis cum re significatâ, ut inde per notas ex congruo intelligibiles earum significatio investigari possit, ut ait Verulam. lib. 6, 1.

§. IX.

Hinc jam ad ultimam ænigmatis classem, suprâ nominatam procedimus, quæ ænigmata in *verbis* & plerumque per *questiones* constituit: atque hæc ipsa ænigmata sunt, quæ *hujus* discursus præcipua erunt materia.

Indolem ænigmatum strictiori hoc sensu acceptorum, exprimit Clearchus Solensis apud Athenæum lib. x. monens esse ænigma: *πρόβλημα παισικόν, προσαικόν τῆ διαζήτησεως εὑρεῖν τῆ ἀγνοίας τὸ πρόβληθῆν, πιῆς ἢ ὑπὸ ζήμεις χάριν εὐρημένον*, i. e. *questionem ludicram, jubentem, ut per inquisitionem acie mentis inveniatur, quod propositum, aut honorarii aut multa gratiâ adductum est.* Nec nos per ænigma inuimus aliud, quam obscuram aliquam orationem, quæ, ut rem notam tegat,
am-

ambagibus utitur. *Griphum* dixere, captiosos istos sermones, veteres apiscatorum labyrinthis; rete enim & lagenam griphus denotat: scilicet quia mentibus capiendis fabricata sunt ænigmata, prout piscibus gryphi. Nec alia est ratio, cur Latinis *scirpi* & *sirpi* dicuntur, qui propriè enodes juncos denotant; ex quibus cum nassæ tolerent effieri in capturam piscium, ab illa similitudine quæcunque captiola oratio cœpit dici *sirpus*, ceu auctor est & Gellius lib. 12. c. 6. Ubi obiter notandum, frustra esse Alciatum & Rhodiginum, qui pro *sirpis* substituunt *scrupos*. Discrimen, quod non nemo fingit inter ænigma & gryphum, quòd hic *gravitate*, illud *risu* & *joco* leateat, nos non morabitur, cum *Griphum* quoque jocosum agnoscat Athenæus. Ambages autem, quibus ænigmata effiunt, vel circa *rem*, vel circa *nomen* & *litteras* quæruntur: interdum quoque *notis* ac *figuris* quibusdam clandestinis hærent. Circa *rem*, quando rei indolem & effecta, per similitudines & ab-

le-

legorias, seu continuatas metaphoras, vel per illius descriptionem, vel per opposita, vel ad fabulâs, historias & Geographiam alludentes, adumbramus.

§. X.

Circa rem est ænigma, quod habetur in interprete Apollonii Tyrii: *Scelere dehor (alii legunt venor) materna carne vescor, quero fratrem meum, matris mea virum nec invenio. Et huc retero a Cleobulo propositum ænigma de anno.*

Ἔἰς πατὴρ παῖδες δὲ δώδεκα &c.

Quod Latinè dari potest:

*Est genitor, gnatos bis sex qui possidet unus,
Cuique horum gnata tricensa dispare formâ,
Hæ niveæ apparent, fuscis sed vultibus illæ,
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.*

Nec est apud Athenæum illud ineligans, quod Clearchus his versibus latinitate donatis explicat:

--- --- --- --- --- cum juberent
*Enucleare confestim, quid esset, quod ferens non
fers aliquis?*

Ridebam ac nugas esse credebam, cum id diceretur,

Quod, ut arbitraber, prorsus nunquam factum est:

Existimabamque insidiosè id dici: nunc autem verum id esse

Cognovi: ferimus enim collectam ad coenam pecunia summam quandam

Homines decem: nostrum verò nullus

Eam fert summam. Est igitur hoc manifestum, non ferre illum qui fert.

Et Aldhelmi de molâ:

Par labor ambarum, dispar fortuna duarum,
Altera nam currit, quod gestiet altera nunquam,

Nec deerit fortè pretium operæ, si heic quoque explicuerimus ænigma Prudentii, quod multos exercuit: habetur in ejus præfatione ad Psychomachiam v. 56.

Nos esse longe vernularum divites,
Si quid trecenti bis novenis additis
Possint, figurâ noverimus mysticâ.

Innuit isthoc ænigmate Poëta, nobis haud defore mores & actiones bonas, quibus
dæ-

dæmoniaco exercitui resistemus, si perpetuò recordemur vitæ ex JESU cruce & binæ mortis. τ litera, quæ Græcis tercentum notat, est vitæ etiam, & crucis Christi signum: ⊙ est & novenarii numeri & mortis nota, quæ hic geminata dicit mortem geminam. Quod verò prior vitæ, altera mortis sint notæ, testis est Isidorus lib. 1. Orig. cap. 23. *In breviculis, quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, quâ inspiceretur, quanti ex militibus superessent, quantique in bello excidissent. τ nota in capite versiculi posita superstitem designabat: ⊙ verò ad unius cujusque defuncti nomen adponebatur.*

§. XI.

Anigma in nomine fit, cum illud aut parum immutamus, aut excogitamus in eo plura significata: vel etiam cum retro legimus, aut dissipamus in Syllabas, aut simili quopiam modo interpolamus. Ingeniosum satis est illud
ani-

ænigma Varronis apud Gellium Noct.
Att. lib. 12, 6. cujus explicandi in nu-
perâ dissertatione necessitatem mihi im-
posuit popularis meus & amicus *elegan-*
tiarum præco. Est id tribus hisce Se-
nariis inclusum, quos svadente Barthio
ita scribi ac legi necesse est:

*Semel minus? non. bis minus? non. sat scio,
An utrumque? verum; ut quondam audiui
dicier,*

Jovi ipsi regi noluit concedere.

Ut & trimetris sua sic constet lex,
& acumen repetitis interrogatiunculis.
Gellius intellexit *Terminum*, Deum tu-
telarem finium, qui, cum Capitolium
inauguraretur, cedentibus cæteris Diis,
Jovi cedere noluit, teste Ovidio lib. 2.
Fastor: Nam *semel* & *bis* junctim au-
diunt *ter*, quod si præfigatur vocabu-
lo *minus*, fit *terminus*, quo nihil clarius.
Ab homonymis oppositis sæpissime quo-
que petitur ratio ænigmatis, ceu est vi-
dere ex isto vulgato apud Suidam, *Vir*
non vir, adem nec avem, eamen, sedentem

*Super ligno non ligno, lapide non lapide, feriens
interemit. h. e. Eunuchus percussit vesper-
tilionem pumice, super ferula.*

§. XII.

Observamus obiter, quod quamvis
aliàs nihil æque orationem com-
mendet ac perspicuitas, nihil in æni-
gmate vitiosius sit eâdem: cui argumen-
to est, quod connexio impossibilium ut
plurimum constituat ænigma, quâ sub-
latâ tollitur ipsum, hæc autē non potest
non parere obscuritatem. Ob hanc cau-
sam Forti in Milite Poëtico dicit: *In-
geniosum erit, puta ænigma, si tale sit, ut
in eo veluti quodam labyrintho, videat quan-
doque exitum lector, sed deinde sese magis
implicatum sentiat; quod licet unum videatur
exprimi, quid tamen longe diversum signifi-
cetur.* Propterea etiam in similibus no-
minibus non raro luditur. Item æqui-
vocis & ambiguis, præsertim vero si
pluries vox eadem adhibeatur, sed di-
versa significatione. E. g. *natura* poni
potest nunc ut nomen, iterum ut par-

ticipium. Literarum transpositiones quoque ænigmata pariunt, uti:

Mitto tibi metulas, caneros imitare legendo.

i. e. Salutem.

Solent quoque vocis literæ in ænigmatate pro situ varia sortiri nomina, ut primæ *capus, frons, cornua, prora, &c.* dicantur, mediæ *venter, &c.* ultimæ *cauda, pes &c.* quale illud:

Mitto tibi navem, prora puppique carentem.

i. e. *ave.* Et de auro:

Cornigera taurum mitto tibi fronte carentem,

Quale solet munus mittere dives Arabs.

Sic Mendicus sum ego una litera plus quam medicus. Verum exemplorum nullus esset finis, si aliud non ageremus. Illud vero præprimis in ænigmatate est observandum, ut una tantum res & nota innuatur, quæ ita suis circumstantiis est sistenda, ne ænigmatate explicatio pluribus simul rebus sit communis; verum ut hæc circumstantiarum ratione, unius rei propria esse possit, ut ait Forti in Milite Poëtico. Regulæ hujus neglectus peperit

Sabinis olim opprobrium, cum adversū Romanos in bellum ituri inscriplere vexillo literas S. P. Q. R. *Sabino populo quis resistet?* Romani enim iisdem literis Sabinis responderunt: S. P. Q. R. i. e. *Senatus populusque Romanus*. Pontanus proposuit ænigma de foramine:

Dic mihi, quid majus fiat, quo plurima demas?
 Scriverius dicitur respondisse ex tempore:

Pontano demas carmina major erit.

§. XIII.

De ænigmatis formâ, non est quod sollicitè disquiramus; cum exempla doceant antiquis temporibus interdum per *questiones*, interdum sine quæstionibus proponi solere. Interdum etiam Poëtarum *numeris* adstrictum, ut Epigramma, interdum sermone *soluto*. Neque enim est negandum, ænigma, quamvis proprie sit figmentum atque opus Poëticum, solutâ tamen oratione quam sæpissime proferri, ceu nos planius quotidianus usus atq; exempla veterū docent.

§. XIV.

S. XIV.

Restat ut de ænigmatum præcipuo
usu pauca dicamus. Fuit ille non
 tantum in conviviiis frequens, ubi, qui
 non confestim ænigma ab altero propo-
 situm solvere potuit, exhaurire portio-
 nem salugine mixtam, idque unico hau-
 stu, tenebatur; verum etiam quando sa-
 pientiæ specimina invicem capiebant
 sapientes veteres. Non Vulgare fuisse
 ænigmatis certamen vel inde liquet, quod
 Reges quoque atque principes, pacis
 temporibus non erubuerint istud fre-
 quentare. De quâ re hæc habet Joh.
 Scheff: in Phil. Ital. cap. 10. *Est & hoc ge-
 nus vetustissimis usurpatum temporibus, ne-
 que alia in re magis suam declarabant olim
 sapientiam, ipsi quoque Reges principes-
 que, qui se mutuo questionibus hujusmodi
 in certamen quoddam provocare solebant.*
 Tale forte fuit certamen, quod Æthi-
 opum Reginae de prudentia cum
 Salomone intercessit. 1. Reg. 10. quæ
 suscepta longinqua perigrinatione, de-
 cre-

crevit tentare Regem ænigmatibus. Salomon autem facile ejus propositiones, quâ valebat sapientia, dissolvebat. Hoc certaminis appellat Plutarchus *ἀμιλλαν σοφίας*, dicitque apud Æthiopes præcipuè fuisse usitatum, inde in Græciam esse translatum, nec alio magis nomine claruisse illos, qui septem sapientes Græciæ dicebantur non obscure innuit Iamblichus lib. 1. c. 18. cujus latine sic se habent verba: *Est autem plane similis hac sapientia illi septem vulgo dictorum sapientium. Nam & illi quærebant &c.*

§. XV.

Huic sapientiæ certamini aliquando junctum fuisse maximum lucrum damnunq;ue, testatur Plutarchus Symp: lib. 5. qui Amasin ænigmatibus certasse de urbibus atque pagis memoriæ prodit. Ex Menandri & Dii historia idem de Salomone cognosci potest. Verba eorum ex Josepho apud Scheff: in Phil: Itall, cap. 10. latinirate donata, ita sonant,
Me-

Menandri quidem: hujus temporibus erat Abdemonis filius, qui problemata a Salomone proposita semper solvebat: Dii hæc sunt. Salomonem, ait, Hierosolymorum Regem ad Iro-
mum anigmata misisse, solutionem eorum po-
stulantem, quod cum ille non valuisset, magnâ
pecunia multatum esse.

Ex hac eadem antiquissima veterum
consuetudine Samson Philistæis tale pro-
posuit ænigma Judic. 14. 18. ex voraci ex-
iitibus, & ex forti egressa est dulcedo.
Licet Vossius instit: Orat: lib. 4. 5. ut æni-
gma strictè sic dictum non agnoscat. ver-
ba ejus hæc sunt. Ut ingenuè, quod res
est, dicam, si presse sumamus anigmatis vocem,
id quod Samson proposuerat, anigma non erat;
quia ignotum erat Philistæis leonem a Sam-
sone interemptum esse, aut mel exceptum esse
a leonis cadavere: quorum neutrum ulli mor-
taliū atque adeo ne parentibus quidem in-
dicarat. Hoc Samsonis ænigma Philistæi
non apertè solvunt, per quæstio-
nem tamen quandam ænigmaticam, se
ei

91
ei satisfacisse ostendunt, dicentes: *quid
dulcius est melle? quid fortius leone?* quibus
eorum propositionibus Samson æque per
interrogationem subjectam respondit,
quid, inquam, est fraudulentius foemina?
ut habet Joseph. lib. 5. cap. 8.

§. XVI.

Et sane pro solutione interdum fuit,
certe pro liberatione a multa, si quis
ænigmati quod solvere nequibat, oppo-
neret aliud solutu difficile, ceu est vi-
dere apud Virg. Ecl. 3. v. 104. ubi Da-
matas:

*Dic quibus in terris (& eris mihi magnus
Apollo)*

Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas?

Regerit Menalcas:

Dic quibus in terris inscripti nomina Regum;

Nascantur flores, & Phyllida solus habeto?

Quamvis nec ista careant clave quâ ape-
riantur. In priori enim ludit Poëta
in voce cæli, pro Cæli illius Mantuanî
de-

decoctoris, qui ex hæreditate ingenti tantum sepulcrum trium ulnarum posuit sibi comparare. In altero indigitatur moneta, cujus speciẽ exhibuimus, qualẽ sicut nobis de la Cerda in commentariis Virgilianis, una ejus facies habebat faciem Augusti, cum inscriptione *Augustus Cesar.*



Altera habebat flores, cum inscri-
ptio-



Non nescio variè a variis versus expo-
 ni, quod nos tamen non morabitur præ-
 sentem explicationem reliquis præferen-
 tes. Tradunt Æsopum, quâ fuit calliditate
 atque ingenii acumine, in solvendis &
 construendis ænigmatibus, multum ne-
 gotii sapientibus sui ævi faceffisse. Verba
 Iamblichi Schefferus in Phil. Ital. cap. 10.
 Ita in linguam Romanam transtulit: *Illis*
semporibus Reges, invicem pacem habentes,
atque delectationis gratiâ, quæstiones vicissim

E

Æsopi

*Sophisticas scribendo mittebant, quas qui sol-
verent, tributa pacta a mittentibus acci-
piebant, qui veronon, equalia prebebant,
Æsopus igitur quas mittebantur problema-
ta Lycero presens solvebat, & clarum red-
debat Regem, & ipse Lyceri nomine altera
istidem Regibus remittebat. Quæ cum ma-
nerent insoluta, tributa Rex quam plurima
exigebat. Quam fuerunt Majores nostri,
& quam sumus nos ad ejusmodi cer-
tamina propensi, si dicerem, dies me
citius quam sermo deficeret. Suntque
exempla domestica adeo nota, ut so-
li facem accendere existimandus sit,
qui in illis esse voluerit operosus.*


§. XVII.

Ex recentioribus non nisi unum com-
mendabimus Nobiliss. Stiernhielmi de
instrumento musico, quod Itali vocant
Violino di Gamba. Nåt som mig kom-
mer an en lust &c. Neque enim in bre-
vitate quam nobis imperavimus licuit
omnia ita prosequi, prout argumenti
amplitudo poposcisset, occasione tamen
Stiernhielmiani illius id solum monemus,
vicio

vicio multorum factum esse, ut in nullo
 poemate major usurpetur licentia, ac
 in ænigmate: Exinde tot videmus non
 minus quàm fabricam & œconomiam
 male tornata ac insulta, sed & quàm ar-
 gumentum obsœna. Scilicet qui jocis
 obsœnis delectantur ipsi, ut risoribus &
 sui similibus placeant, in ejusmodi scu-
 rilia non raro stylum laxant; coram se-
 verioribus sat habentes, si quocunque
 colore queant honestam simulare inten-
 tionem. A quàm contagione non fuit
 alienus ille qui Lucidoris maluit quam
 proprio nomine celebrari, Poëta aliàs
 ingenii felicissimi. Quod tamen ma-
 nifestè repugnat castimoniam Nympha-
 rum, quæ Poësi præsidet, & cum ad
 mores pervertendos non parum faciat
 effrenis illa licentia, non præter rem
 est, quod in dominâ urbe accepimus
 severo edicto esse cautum, ne quis æni-
 gmata Epithalamiis adfigere quærat,
 quod ut plurimum sic soleant esse com-
 parata, ut cum petulantes juvent, ho-
 nestis auribus sint ingratiſſima. Hæc
 sunt

sunt quæ hac in festinatione potui cor-
 gessisse super ænigmatibus, non quod
 mihi persuadeam argumento aut eru-
 ditorum expectationi sic fecisse satis;
 deprehendo enim quam possent adhuc
 innumera adjici, quæ ad rem facerent
 intimè & forte etiam nunc cum opellæ
 detrimento omittuntur; sed omittuntur
 tamen, quia in his fore prolixiores &
 temporis & suppellectilis meæ ratio
 vetat, quam ut apud Te quoque facias
 valere; Gaudidè Lector, est quod sum-
 moperè peto, tuâque ex bonitate sup-
 pleas, quæ desiderari videntur. Quod
 si tibi grave non fuerit, mihi nec diffi-
 cile erit, omni obsequiorum genere, me-
 am erga te observantiam usquequaque
 testari & humanitatis tuæ, cum pri-
 vatum tum publicum age-
 re præconem.

SOLI DEO GLORIA.



Förtrogne Wån

JACOB Wijkar/

Nård utaf sitt Taal och Striff-
ters sötma kånnes:

En Starck af styrelse stor: En Snäll
af snällheet full/

är högsta Heder wård / för hela jor-
dens gull;

Når Heders-lampan them / till åhra.
wål uptånnes.

Swad fordom brukligt war hoos wijsa
männer alla /

Med gåtor forsta ut förstånd och mo-
get wett:

Och eljest huru thet wid gåtors lös-
ning stett /

Thet af Her Wijkars hand / mon-ym-
nige of tillfalla.

Her

Her Wijkar ønskes sidst: at Himlens
högsta nåde
Må af sin fulla hand/ en klar uplys-
ning gee/
At han then klarhet och omsider
måtte see/
Then wij i mörkret här/ som i en spegel
skåde.

PET. GAMMAL.

Pereximio Doctissimoque

DN. JACOBO Wijkar/

De

ÆNIGMATIBUS

Feliciter Differenti,

Est decus, antiquum genus explicu-
isse loquendi,
Qui pateant miris abdita verba modis;
Est.

Estque decus, scelerum cavisse informia
monstra,
Oedipodionis callidiora dolis.
Nomine sic gemino Te, *Wijtar*/ dico
decorum,
Cum Te Mæonides id meruisse
probant.
Scilicet infidias, mundo quas infera
Siren
Construit, evitas qui meliore viâ:
Et tætu hoc mentis monstras, quan-
tùm fugis illos,
Omnia desidiâ quæis paradoxa sonant.
Ut bene cœpisti, cœptis ita prosper
inhære,
Aoniâ laurô condecorande caput.

MICHAEL JESENHAUS,
Ost. Bochn.

Dum nobis veterum semetiposa enigmata
monstrat

Et regis solers, mi conjunctissime **Wijlar** /
Non Te digna queo præconia dicere laudis;
Dices at ille potens Musarum Præses
Apollo.

Ipse præres fundam: Dominus tua cæpta
Secundet,
Quò superis carus fueris, patriæque sa-
lubris.

JACOB GAVELIN,
Ost. Botin.

